

1574

pax esset, perpenderent; immanes impensas reputarent, quæ ejusmodi essent, ac si assiduo Respublica bello premeretur: inani, atque incerto pacis nomine ea pericula obtegi, quæ aperto bello erumpere solent. Jam omnia Venetis hoc rerum statu a Turcis timenda, quorum actiones suspectæ, dubii apparatus, perplexa atque incerta consilia sint. Quod si Hispanorum vel mora vel negligentia ad infaustam sanciendam pacem coacti fuerant, opportuna se remedia adhibiturum; negligentiam insitamque cunctationem depellere; errata præterita corrigere, eosque ad promissorum fidem præstandam arctissimis vinculis coacturum. Ad hæc Theupolus: Difficilimum, ac periculosum cum Ottomanis Regibus bellum Venetis semper extitisse; neque denuo suscipi posse, quin momento maritimum imperium incertæ fortunæ aleæ committeretur: trium annorum spatium, quibus cum acerrimo hoste pugnatum esset, exhaustas fere Reipublicæ vires. Quantum auri erogatum? quantum civium sanguinis effusum? non Venetis animos; at belli nervos hoc tempore deesse: immensis pene sumptibus, in iis ditionibus retinendis, obrui, quæ pro vallo totius christianæ reipublicæ, atque Italiæ præsertim objectæ sint. Quapropter Pontificem potius rogare, ut suorum decessorum exemplo ecclesiasticis opibus Rempublicam juvaret; majori fructu tantarum divitiarum proventus, quæ ecclesiis, religiosisque locis a pietate insignibus viris relictæ fuerant, quam in iis regionibus tutandis, quibus salus, decusque totius christianæ reipublicæ niteretur, impendi non posse. His a Theupolo magna dicendi vi expositis, permotus Pontifex, quo statu res Venetæ sint, in purpuratorum collegio exposuit: Maximos sumptus, quos pro maritimis ditionibus defendendis erogare Veneti cogantur, quæ barbarorum imperio circumfusæ ingenti peditum, equitum, triremiumque numero indigeant, omni studio enitendum esse, ut ad potentissimi hostis excipiendum impetum paratiores reddantur; in primisque Crætæ regnum, ad quod conservandum cunctos christianos Principes certatim accurrere oportere; ne, si in Turcarum potestatem concederet, brevi omni maris mediterranei navigatione potirentur, remigioque, cujus ea insula, ob insitam incolis maris peritiam, ferax est, au-

At,